

CAPUT IV.

DE PROVIDENTIA DEI CIRCA REPROBOS.

ARTICULUS I.

AN ET POST QUOD PECCATUM PRÆVISUM FIAT REPROBATIO POSITIVA A GLORIA?

246. Nota. Oppositorum Veritati Catholicae sententiarum

1^a. Præter Prædestinatianos antiquos complectitur maxime *Calvinum*, ejusque sectatores Antelapsarios docentes, Deum ex mero suo arbitrio, absque ulla ex parte hominis culpa, atque hinc ante prævisum quodcumque peccatum, aliquos exclusisse a gloria, et inferno destinasse; ac propter Deum his reprobis negare fidem et omnem gratiam, cosdem impellere ac necessitatem ad peccandum, misereque decipere ac illudere.

2^a. Continet Postlapsarios, qui prius dogma emollierunt, quod reprobationem illam cum suis corollariis paulo alter explicatis, assererent non fieri nisi consequenter ad prævisionem peccati originalis. Eamdem rationem indicaverat *Calvinus* in antidoto Conc. Trid. passim, item L. 3. et 5. de prædestin., ac L. 2. Instit. c. 5.; *JANSENIUS* vero nihil immutatum adoptavit. Nam L. 10. de Gr. Salv. per quinque priora capita, ubi primum exposuerat, prædestinationem ac reprobationem angelorum factam esse dependentem a prævisione meritorum ac demeritorum actualium ex eorum parte, idemque futurum fuisse, si status innocentiae in Adæ posteris perseverasset; aliter rem habere post primi Parentis lapsum statuit.

Hic enim 1^o. docet, Deum pro mero suo beneplacito et antecedenter ad omnem tum operis tum voluntatis prævisionem selegisse, alios ex massa perditionis et liberandos decrevisse, alios vero reliquise in eadem massa, et exinde liberare *positice* noluisse: 2^o. hanc relictionem admittit esse positivam reprobationem, quantumvis Deus *proprie* non efformet novum decretum antecedens relictos illos damnandi; propterea quod isti propter originale peccatum jam obnoxii sint sententiæ damnationis: 3^o. negat quidem Deum per se ipsum homines necessario adigere ad peccandum, vult tamen non electos necessario peccare, quatenus relieti sunt in necessitate peccandi contracta per originale peccatum, et auxilio vere sufficienti seu *gratia medicinali* destituti: unde 4^o. pro *cavisa* reprobationis positivæ absolute consideratae assignat peccatum originale; quia quamvis adulti, qui contractis peccatis actualibus moriuntur, etiam propter hæc dominantur: tota tamen concatenatio peccatorum et suppliciorum radicaliter et mediate in peccati originalis meritum referenda videtur.

3^a. Constituunt ex antiquatis Catholicorum quorundam sententiis, qui quidem statuunt a Deo neminem addici poenis aeternis, nisi vel propter

peccatum originale non dimissum, vel propter peccata actualia; voluntamen Deum, vel ante prævisum quodcumque peccatum, ex sola sua voluntate, aliquos *positive* excludere a gloria, tanquam a beneficio indebito, vel propter peccatum originale velle nonnullos exclusos a gloria, et hinc etiam iis vel remedium contra hoc peccatum, vel eo dato gratias efficaces negasse: utrique tamen negabant blasphemias, et errores a *Calvino* et *Jansenio* annexos.

247. Dico I. Deus ante prævisum quodcumque peccatum neminem *positive* reprobavit, nec etiam positive exclusit a gloria, velut a beneficio indebito.

Prob. 1^a: p. I. ex SCRIPTURA. 1^o. quidem Sap. 11. 25. dicitur de Deo: *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.* Ibid. 4. 13. *Deus mortem non fecit, nec letatur in perditione vivorum.* Et Tobie c. 3. 21. *Non enim delectaris in perditionibus nostris;* ergo Deus ex se et non provocatus a creaturis decretum reprobationis non fecit. 2^o. Sap. 12. 15. ita Sapiens Deum alloquitur: *Cum sis justus, juste omnia disponis: ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare exterum existimas a tua virtute: virtus enim tua justitiae initium est;* ergo ante prævisam ullam culpam repugnat justæ Dei providentiae, quæmiam reprobari. 3^o. Deus in tempore neminem excludit a gloria et damnat ad infernum nisi propter peccata, ut liquet ex sententia Christi Matth. 25. 41. dicentis: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.;* ergo et neminem ab aeterno decrevit a gloria excludendum ac suppliciis aeternis puniendum, nisi propter previsa ejus peccata; quia, quo modo rem confert in tempore, eo modo prædestinat ab aeterno.

II. ex TRADITIONE. 1^o. Conciliorum, inter quæ Araus. II. Can. 23. (Labb. t. 4. p. 1672.) sic ait: *Hoc etiam secundum Fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos vero ad malum divina potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Valentin. III. Can. 3. (Labb. t. 8. p. 136.): *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, et prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere justum Dei judicium.* Trid. Sess. 6. Can. 17.: *Si quis justificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.*

2^o. Patrum, de quibus, præsertim aeo Apostolico proximis, Centuriatores Magdeburgenses ipsi Cent. 2. c. 4. sic scribunt: *De prædestinatione ita docuerunt, ut quantum ad utriusque hominis scilicet et diaboli lapsum attinet, negarint cum fatali necessitate contigisse, nec prædestinationem in eo Dei, sed præscientiam solam admiserunt.* Hinc, prætermisis S. JUSTINO tum in Apolog. ad Antonin., tum in dial. cum Tryph., CYPRIANO ep. 52. ad Antonianum, et aliis alibi referendis, sufficiat laudasse S. AUG., qui dogma fidei probat imprimis ex Dei *providentia*, dum L. 19. de Civ. c. 13. n. 2. ait:

Deus ergo naturarum omnium sapientissimus conditor et justissimus ordinatus dedit hominibus quedam bona huic vite congrua..... eo pacto æquissimo, ut qui mortalis talibus bonis..... recte usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam et honorem in vita aeterna..... qui autem perperam nec illa accipiat, et haec amittat: deinde ex Dei justitia, dum L. 3. cont. Jul. c. 18. n. 35. ait: Bonus est Deus, justus est Deus; potest aliquos sine meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est; quod ipsum L. 4. c. 8. n. 46. serm. 34. (al. 294. c. 6. n. 6.) de verb. Apost., ep. 106. (al. 186. c. 4.) alibique cont. Pelagianos urget, ex damnatione infantium non baptizatorum existentiam peccati originalis demonstrans: item ex duplice principio generali, quorum alterum L. 13. c. 13. de Civ. statuit his verbis: Ad malum (creaturæ) prior est voluntas (creaturæ); ad bonum vero ejus prior est voluntas Creatoris ejus: alterum vero L. 3. de lib. arb. c. 18. n. 51. ita profert: Omnis pena si justa est, peccati pena est, et supplicium nominatur etc.

III. ex RATIONE. Tum quia reprobatio vel formaliter est *judicium*, ut plurimi ex præcipua hujus nominis significatione docent: vel saltem incipit a judicio, quo quis judicatur indignus aeterna vita, et dignus supplicio aeterno, adeoque notitiam delicti supponit: tum quia reprobatio est actus *justitiae vindicativa*, quæ nequit hominem prius deputare ad poenam, quam præsciat culpam: tum quia, si illa etiam permittatur esse actus meræ potestatis et dominii in Deo, tamen ab ejus bonitate plurimum recedit, et consecratio illa horrenda alibi satis refutata necessario infert.

Prob. 2^a. p. iisdem argumentis; tum quia prima et præcipua poena, in qua stat damnatio, est poena damni seu *exclusio a gloria*; unde et parvuli sine remedio contra peccatum originale decedentes vere damnati dicuntur: tum quia nullum de facto est *medium* inter exclusionem a gloria et inter destinationem ad poenam: tum quia illa exclusio a gloria non habet pro termino carentiam beneficij indebiti, sed privationem et poenam; cum licet beatitudo non debeatur naturæ vel secundum se spectata vel corrupta, debetur tamen naturæ ut elevata ad illum finem, vel ut reparata per mortem Christi, si peccatum non obstat, et Christo compassi fuerimus.

Conf. Hæc reprobatio repugnat regulis illis generalibus ex Scriptura ac Tridentino desumptis: *Perditio tua ex te; tantummodo in me auxilium*: et *Deus neminem deserit, nisi ab eo deseratur*. Hæc voluntas positiva excludendi reprobus a gloria non stat cum sincero affectu omnes homines salvandi. Hæc sententia, licet non dicat a Deo reprobus injici necessitatem infallibilem incurrandæ damnationis, et consequenter male agendi ac carenti mediis necessariis, ut profitetur Calvinus; tamen reipsa admittit quod verbis negat.

248. *Dico II.* Deus, post prævisum peccatum originale ut ab hominibus præcise contractum, non statim propter illud solum et in eodem rationis signo positive reprobavit aut absolute exclusit ullum a gloria.

Prob. I. Ezech. 18. 23. dicitur: *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat;* et 2. Petri 3. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* In his ac similibus locis SCRIPTURA loquitur de homine considerato

consequenter ad peccatum originale: sed in iisdem elare excluditur omnis voluntas antecedens perditionis hominum ac damnationis; ergo.

Conf. Deus post prævisum Adæ peccatum et originale omnibus proprium habuit voluntatem salvandi omnes; et Christus mori pro omnibus decrevit; ergo non statim post prævisum illud ac in eodem rationis signo potuit habere absolutum decretum damnandi vel excludendi quempiam a gloria.

Prob. II. Peccatum originale per gratiam baptismalem dimissum non est causa reprobationis aut exclusionis positive a gloria; ergo post prævisum peccatum originale, ut præcise contractum et propter illud solum, Deus neminem positive reprobavit vel excludit.

Ant. prob. 1^a. Juxta Apostolum ad Rom. 8. 4. *Nihil damnationis est in eis qui sunt in Christo Jesu;* et juxta TRID. Sess. 5. in decr. de pecc. orig. num. 5. *In renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis qui vere conseptuli sunt cum Christo per baptismam in mortem:* sed multum damnationis in iis esset, si peccatum originale, licet dimissum, foret causa reprobationis; ergo. 2^a. FLORENTINA SYNODUS, in decr. ad Arm. (Labb. t. 13. p. 535. E.) docet effectum baptismi esse remissionem omnis culpe originalis et actualis, omnis quoque poenæ pro ipsa culpa debitæ; adeo ut, si baptizati moriantur, antequam aliquam culpam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniant: TRIDENTINA autem Sess. 6. c. 14. declarat, per baptismum tolli non tantum poenam aeternam sed et temporalem: sed hoc fore falsum, si originale peccatum foret causa reprobationis; tum quia, dimiso quantumvis hoc peccato, ob illud reprobationis antecedentis decretum non daretur facultas perveniendi ad Dei visionem: tum quia poena peccati originalis gravissima remaneret in illa reprobatione; ergo. 3^a. TRID. Sess. 6. c. 1. affirmat, causam finalem justificationis esse *vitam aeternam*; eos qui justificantur adoptari in filios Dei, ac hæredes fieri vite aeternæ, unigique et signari Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ: accipientes christianam justitiam, juberi eam, ceu primam stolam alteri ab Adamo acceptæ substitutam, conservare immaculatam; ut eam perferant ad tribunal Domini, et habeant vitam aeternam: sed falsa hæc omnia et frustra forent dicta, si in justificatis originale peccatum nihilominus causa reprobationis foret; ergo.

Conf. Sicut quod est causa reprobationis, est etiam causa poenæ aeternæ, sic e contrario quod non est causa poenæ aeternæ, non est causa reprobationis; cum eadem sit ratio reprobationis, quæ est condemnationis: sed peccatum originale, quod in hac vita remittitur, non est causa poenæ aeternæ; quia remisso peccato, remittitur aeterna poena ei debita: semel autem remissa culpa nunquam amplius reddit; cum dona Dei sint sine pœnitentia; ergo.

249. *Dico III.* Deus positive reprobavit, parvulos quidem non baptizatos propter peccatum originale, adultos autem propter peccatum vel originale vel actuale, vel utrumque usque ad mortem durans et perseverans, et sub hac conditione a Deo prævisum.

Prob. 1^a. p. Quia quidquid Deus in tempore exequitur, ab aeterno decernit, et in mente Dei datur; cum Deus nequeat velle aliquid de novo aut intelligere: sed Deus exequitur reprobationem positivam in tempore; ut de

angelis reprobis ex 2. Petr. 2., de hominibus autem ex sententiâ Christi Matth. 23. constat; ergo datur jam ab æterno reprobatio positiva, seu Deus positive reprobatur. Unde et Concilium Valentini. l. cit. ait: *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, et prædestinationem impiorum ad mortem etc.*

Prob. 2^a. p. Eadem ex parte hominis reprobi est causa sue reprobationis, quæ est condemnationis: sed in his parvulis tota causa damnationis eorum est originale peccatum ad mortem usque perseverans, juxta illud Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;* ergo et illud solum, ut prævisum ad mortem perseveraturum, est causa reprobationis. Idem argumentum tenet de adultis cum solo peccato originali non remisso descenditibus: facile etiam applicari potest ad declarandum illud tanquam causam partiale reprobationis in adultis, qui originali non dimisso addiderunt peccata actualia.

Restat itaque dicendum de reprobis, quibus dimisso originali insunt actuale unum vel plura mortalia usque ad mortem perseverantia: de quibus

Prob. 3^a. p. Scriptura et Patres docent propter peccata actualia homines damnari, et propter eadem prævisa reprobari. Nam Matth. 23. 41. dicit Christus: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.* 1. ad Cor. 6. 9. PAULUS ait: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt.* Conc. Valent. l. c. definit, *in damnatione periturorum meritum malum præcedere justum Dei judicium.* TERTULL. L. de prescript. c. 8.: *Judæi retro penes Deum fuerant; dehinc ejecti ob delicta, extra Deum esse coperunt.* S. FULG. L. 1. ad Mon. c. 24.: *Prædestinavit illos ad supplicium, quos a se præscivit voluntatis male vitio discessuros.* BEDA L. aliquot quest. q. 13. *Non est in Dei dispositione, quomodo peccator peccet: sed tamen cum sciat eum peccatum, mortem ei prædestinat ut verius iudex.*

Conf. Ex dictis eadem est causa reprobationis positivæ, quæ est damnationis; sed adulti damnantur propter actualia peccata, eaque non nisi expleta hac conditione, si in illis usque ad mortem perseveraverint, quæ fundatur in illo Luc. 13. *nisi paenitentiam egeritis, simul omnes peribitis;* ergo:

230. *Obj. cont. 1^{um}.* S. Petrus 1. ep. 2. 8. de Christo ait: *Factus est in caput anguli et lapis offensionis et petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo et positi sunt: sed postremis verbis ostenditur, illos ad incredulitatem a Deo esse prædestinatos, et consequenter ante prævisionem peccati omnis, ad exclusionem a regno gratiae et gloriae per Christum conferenda;* tum quia nec debet legi juxta Vulgatam, *in quo positi sunt, nec relativum pertinet ad verbum, ita ut sensus sit: offendunt in verbo, quo positi sunt; sed juxta textum græcum debet legi: in quo positi sunt, et relativum pertinet ad totum præcedens complexum, quia est pronomen neutrum: εἰς δὲ quod cum masculino λόγος non consentit: tum quia verbum τιθημι pono, frequentissime in Scripturis usurpatur pro ordinare ac destinare;* ergo.

R. N. min. Quamvis enim Vulgatae lectionem omittamus, cui præter nonnullos græcos Codices Arabica et Syriaca versio consentit, tamen sensus

Bezæ blasphemus inde non sequitur; tum quia infideles non possunt dici a se suaque malitia, non autem a Deo, positi esse in ordine non creditum et reproborum: tum quia verba εἰς δὲ, *in quod vel ad quod*, secundum Bedæ aliorumque expositionem, indicant ad credendum, seu ut credant Christo et Evangelio; ut sensus sit: Christus est petra scandali omnibus hominibus, maxime Judæis, qui positi, id est, creati et ordinati per legem et Prophetas sunt ad hoc, ut in Christum a lege et Prophetis præsignatum credant, nec tamen credunt, quia credere nolunt.

Inst. Deus reprobatur homines vel ad ostendendam potentiam suam, vel ad ostendendam gratiam erga electos, ut patet ex epist. ad Rom. 9. 1^{um}. quidem singillatim circa Pharaonem: *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam;* universim circa reprobos: *Si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam:* 2^{um}. autem, dum ibidem liberum dicit Deo, sicut figulo, facere vas in honorem vel in contumeliam ex eadem massa, et postremum fieri, *ut ostenderet divitias gratiae sue in vasa misericordiae.* Sed uteque hic finis intendi potest ante prævisionem omnis peccati; ergo. *Conf.* Deus ante prævisionem omnis peccati, et in eo signo rationis quo electis vult gratias congruas, etiam vult damnatis gratiam tantum sufficientem et permissionem peccati: sed hoc ipso vel *formaliter* vult eos damnare, et reprobatur, quia hoc debet velle propter aliquem finem, qui non est aliud quam damnatio: vel *virtualiter* vult eos damnare, quia permissione peccati et gratia mere sufficiens infallibiliter connexa est cum damnatione; ergo.

R. D. M. Deus homines reprobatur ad ostendendam potentiam vel gratiam erga electos ex se et tanquam ob finem primo et absolute intentum N. ex consequenti et tanquam ob finem secundo ac ex facta peccati suppositione intentum C.

Ad Conf. R. N. m. Habet quidem Deus gratiae mere sufficientis et permissionis peccati fines optimos nobis incognitos, non tamen damnationis, utpote cum Dei voluntate repugnantis; adeoque in illis *formaliter* non vult damnare aut reprobare: præterea damnatio nec per se nec ex intentione Dei est conjuncta cum gratia sufficiente ac peccati permissione, sed per accidens solum et contra intentionem Dei; adeoque nec *virtualiter* vult Deus reprobare.

231. *Obj. cont. 2^{um}.* S. AUG. ep. 103. (al. 194. c. 6. n. 22.) ait: *Si vasa sunt iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem, quæ illis debita redditur, sibi hoc imputent, quia ex ea massa facta sunt, quam propter unius peccatum, in quo omnes peccaverunt, merito Deus justeque damnavit.* Ergo propter originale et ante prævisa peccata alia multi reprobantur.

R. N. *Cons.*, et quod propter solum peccatum originale, ut præcise contractum, reprobatio positiva eveniat. Loquitur S. Doctor hic de adultis vel peccata actualia contrahentibus, vel in originali permanentibus, ut ex verbis immediate præcedentibus liquet: *Sed excusabunt se homines, qui nolunt recte et fideliter vivere, dicentes, quid nos fecimus, qui male vivimus, quandoquidem gratiam, unde bene viveremus, non accepimus? Non possunt veraciter dicere, nihil mali se facere, quia male vivunt: si enim nihil mali faciunt, bene vivunt: si autem male vivunt, de suo male vivunt, vel quod originale traxerunt, vel quod insuper addiderunt.* Præterea in verbis objectis dicitur duntaxat damnatio ac perditio peccato originali tanquam poena deberi, ac

hominibus reddi, si sint *vasa iræ*, quæ perfecta sunt ad perditionem; an autem perficiantur ad perditionem ex solo Dei beneplacito, an ex propria malitia, vel aliena culpa emundationem peccati originalis impediente? non decernitur.

Inst. Peccatum originale quantumvis remissum etiam quoad poenam, tamen habetur causa *concupiscentiae* in homine; ergo et derelictionis in massa damnata et reprobationis. *Conf.* Idem peccatum est fons et radix omnium peccatorum, et potest dici causa motiva, ob quam Deus justus non vult dare hominibus *auxilia congrua* ad non committenda peccata actualia, nec perseverandum in iis usque ad mortem; ergo originale peccatum recte dici potest propria causa, licet remota, reprobationis.

R. N. Cons. *Disparitas* est, quia quamvis *concupiscentia* in homine renato pena non sit, sed mera penalitas, et quæ etiam in statu naturæ puræ haberet locum; tamen admitti potest aliquo sensu esse effectus originalis peccati; partim quia non fuisset futura in statu integratatis ad Adæ posteros transmissæ: partim quia nihil damnationis in se habet, et relinquitur duntaxat ad agonem: reprobatione autem admissa, multum damnationis adhuc reliquum esset in renatis, et relictio esset ad interitum.

Ad Conf. R. T. A. *N. Cons.* Sequitur enim ad summum, peccatum originale esse occasionem remotam aut conditionem, sine qua Deus non negaret homini *gratiam congruam*, nec homo actualiter peccaret. Præterea cum negotio auxillii congrui non sit causa peccati, consequenter nœc est causa reprobationis, cuius propria causa est peccatum; adeoque nec peccatum originale remissum dici potest causa reprobationis, etiamsi fuerit causa negationis hujus auxillii.

252. *Obj. cont.* 3^{um}. Reprobi ex frequenti Patrum et Doctorum usu vocantur *tantum vel simpliciter præsciti*; ergo circa hos non datur actus voluntatis divinæ et reprobatio positiva. *Conf.* 1. *Cœcilium Carisiacum c. 4.* (Labb. t. 8. p. 56.) definit unam tantum esse prædestinationem; *Hincmarus Archiep. Rhemens.* præterea etiam negavit impios a Deo prædestinatos penitus; ergo utriusque negarunt reprobationem dari. 2. Ex reprobatione positiva sequitur, tum reprobus non posse salvari, tum Deum esse causam perditionis eorumdem: sed utrumque est erroneum; ergo.

R. D. A. Vocantur *tantum vel simpliciter præsciti*, excludendo hac restrictione decretum justitiae vindicativæ, et reprobationem positivam post prævisam in peccato finalem perseverantium *N.* excludendo tantum prædestinationem sumptam in sensu communiori ac principali, nempe in partem bonam et pro electione ad gloriam *C.* Usus loquendi acceptus est a S. Aug., qui *L. de Præd. SS. c. 40. n. 19.* ait: *Prædestination est, quæ sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia.*

Ad Conf. 1^{am}. *R. D. Cons.* Negarunt dari reprobationem in sensu prædestinationis et *Gotteschalcii C.* in sensu nostro *N.* Capituli verba hæc sunt: *Deus bonus et justus elegit ex eadem massa perditionis, secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, et vitam illis prædestinavit æternam: ceteros autem, quos justitiae judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent prædestinavit; penam autem illis, quia justus est, prædestinavit æternam.* Ac per hoc unam Dei

prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiae, aut ad retributionem justitiae. Ex quibus patet, a Patribus admissam in Deo esse reprobationem positivam post prævisionem peccatorum, et oppositam fuisse unam prædestinationem duabus *Gotteschalcianis*, quarum una homines ad vitam, altera ad mortem utrinque necessario incurrendam prædestinatos hæreticus ille docebat; qui, quamvis postea non amplius duas sed unam, quam tamen geminam ex comparatione charitatis vocabat, statueret, nihilominus ab errore suo de reprobatione et demerita præcedente et necessitatem inferente non discessit. Licet vero *Hincmarus* prædestinationem geminam, sed in sensu *Concilii* posito, dici permitteret, et poenas etiam impiis a Deo prædestinari doceret; nunquam tamen passus est dici, *impios penitus a Deo prædestinari*, ne scilicet videretur cum *Gotteschalo* admittere quod Deus non alio consilio impios crearit, quam ut necessario impii fierent, et ex illa peccandi necessitate damnarentur, qui hæreticus sensus erat illorum verborum, queis Deus impios prædestinare ad penam dicebatur.

Ad Conf. 2^{am}. *R. D. A.* Ex reprobatione positiva, quæ nomini post prævissum peccatum originale vel actuale cum morte conjunctum statuitur, sequitur reprobus non posse salvari etc. *N.* ex ea quæ ante illam prævisionem ponit *C.* Non intervenire hic necessitatem absolutam et antecedentem, sed hypotheticam tantum ac consequentem, liquet ex alibi dictis. Patet item in nostro systemate causam perditionis refundi non posse in Deum.

ARTICULUS II.

AN ADMITTENDA SIT NEGATIVA REPROBATIO A GLORIA.

253. *Dico.* Non est admittenda reprobatio *negativa* a gloria, sive ea statuatur *ante* peccatum quodecumque, sive statim *post* originale peccatum prævissum.

Prob. 1^a. p. I. Reprobatio *negativa* quoad rem et effectum nihil differt a positiva; sicut enim apud Romanos qui *præteriti* vocabantur ex eo quod, cum legerentur Senatores, a Censoribus eorum nomina non recitabantur, eamdem sortem habebant cum *rejectiis* seu repulsis a dignitate senatoria; et sicut qui in testamento non vocantur hæredes aut legatarii, æque nihil participant ex defuncti bonis, ac qui sunt speciatim exclusi: sic qui reprobatus est *negative*, non plus spei adeundi regni cœlorum habere potest, quam positive reprobatus. Sed positiva reprobatio ante peccatum finale prævissum non est admittenda ex dictis; ergo nec *negativa*.

II. Ubi potest esse reprobatio *negativa*, ibi etiam positiva esse potest; tum quia ex *negativa* sequitur positiva: tuum quia ratio non est cur Deus nequeat positive velle quod vult negative: sed ab adversariorum plurimis ante prævisionem demeritorum absolutam non admittenda statuitur reprobatio positiva; ergo nec admitti debet *negativa*.

III. *Negativa* reprobatio, cum sit antecedens ac infallibilis, æque parum ac positiva consonat cum sincera voluntate salvandi omnes; nec minus repugnat misericordie, bonitati, gratuitæ ordinationi divinæ ac redemptioni Christi; ergo.